ERRANDO DISCITUR

Sententiam illam 'errando discitur', multas inter gentes adhuc pervulgatam, aetati medii aevi viri docti[1] tribuerunt, nec in Romanorum proverbiorum thesaurum A. Otto rettulit.[2]

Rerum rusticarum scriptores Graeci et Latini proverbia dicta vulgares locutiones, maxime in praefationibus, saepius adhibuerunt.[3] Columella quoque, in principio libri primi quem de agri cultura scripsit, multa proverbia multasque sententias proverbiali colore imbutas usurpavit (cf. 1.1.18; 1.3.6; et maxime 1.3.8–9). Inter quas lego (1.1.16):

Usus et experientia dominantur in artibus,[4] *neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur.*

Columellae igitur sententiam ex proverbiali vulgarique sermone sumptam puto, necnon agricolarum more et experientia exortam[5]. Nam de agri cultura per errores et experientiam progressa multi scripserunt, ut Xenophon Varro et Plinius maior. Columella idem, quasi suam declararet seu explicaret sententiam, paulo infra (1.4.4–5) perscripsit:

Nec contenti tamen auctoritate vel priorum vel praesentium colonorum nostra promiserimus exempla novaque temptaverimus experimenta. Quod etsi per partis non numquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum, quia nullus ager sine profectu colitur, si multa temptando possessor efficit, ut in id formetur, quod maxime praestari possit.[…] Multos enim deerrasse memoria prodidit […].

Commutatio inter 'errare' et 'peccare' nota est iam ab altero illo *errare humanum est, perseverare diabolicum* (Walther 7160d), quod etiam *peccare humanum, perseverare diabolicum* traditur (Walther 21065a). Proverbium igitur nostrum saltem Columellae aetate iam pervulgatum esse censeo.

Universitatis Perusinae EMANUELE LELLI
poiesis.roma@fastwebnet.it
doi:10.1017/S0009838808000359

[1] A. Arthaber, *Dizionario comparato di proverbi e modi proverbiali* (Milan, 1989), no. 1235; R. Tosi, *Dizionario delle sentenze latine e greche* (Milan, 1991), no. 398: 'in tutte le lingue europee è diffuso l'equivalente del medievale *Errando discitur*'; C. Lapucci, *Dizionario dei proverbi italiani* (Florence, 2006), 473–4: '*Errando discitur.* non ha origine classica, ma è registrata fra le sentenze medievali'. Sententiam tamen non repperi apud E. Tierno Galván (ed.), Aurea dicta. *Dichos y proverbios del mundo clásico* (Barcelona, 1987), nec apud H. Walther, *Lateinische Sprichwörther und Sentenzen des Mittelalters in alphabetischer Anordnung*, I–V (Göttingen, 1963–7), sic ut apud S. Singer (ed.), *Thesaurus Proverbiorum Medii Aevi* I-XIII (Berlin–New York, 1995).

[2] *Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer* (Leipzig, 1890).

[3] Ut Varrone utar: cf. *Rust.* 1.1.1; 1.1.4; 1.2.2 bis; et alia.

[4] Quod dictum tantum Otto regessit sub voce *usus.*

[5] Nihil de sententia inveni apud Columella, *L'arte dell'agricoltura*, cur. C. Carena (Turin, 1977), in notis; Columella, *Landwirtschaft*, cur. W. Richter (Munich, 1981), *ad loc.*; F. Speranza, *Incerti e proverbia nelle opere latine* de re rustica (Messina, 1979). Quae verba apud scriptores medii aevi mihi notos non repperi.

https://doi.org/10.1017/S0009838808000359 Published online by Cambridge University Press